

dem adjuncta rem à re distinguunt, non primariò & essentialiter sicut forma, sed secundariò duntaxat, accidentaliter & beneficio forma. Quia igitur ratione vis & facultas distinguendi, formæ detrahi possit, non video. Objicitur 2. Forma respectu operationum evadit efficiens. E. forma quâ forma, non operatur. Respon. Vulgatus est canon logicus: *Forme debentur propriè actiones composci.* Vide si libet *Keckerman. Syst. log. pag. 161. Arist. 1. de generat. sect. 2. text. 53. Scalig. exer. 28. sect. 2.* ubi dicit: *Forma germanum illud est principium, quo omnia supposita sunt actiosa.* Sed instant quidam: Solum compositum dicitur operari, homo enim dicitur videre, sentire, intelligere, non anima. Respon. Distinguendum hîc esse inter principium operandi quod, seu adæquatum quod, est compositum, & inter principium operandi quo, seu inadæquatum, quod est forma.

2.  
Responso.

Instantia  
moveretur.

Responde-  
tur ad in-  
stantiam  
distingue-  
do.

### DISQUISITIO XV.

#### Quid sit finis?

**F**inis est vocabulum ambiguum. Observandum igitur, hoc loco defini-  
niri, non quatenus vocabulum finis sumitur pro rei extremitate: sed  
quatenus duntaxat sumitur, pro causa finali respiciente finitum: Et in hac  
significatione variè definitur à Philosophis: sed nos hanc definitionem  
cæteris præferimus: *Finis est causa cujus gratiâ res (finitum) est;* tum quod  
nulla alia afferri possit, quæ melius explicet definiti naturam; tum etiam  
quod sit Aristotelis, ac constet genere & differentiâ specificâ. Objici au-  
tem potest, definitionem hanc esse suo definito angustio-rem, unde talis  
syllogismus: Quæcunque definitio est angustior definito, illa est vitiosa.  
Atqui hæc finis definitio est talis. E. Minor probatur, quia *Arist. 2. Phys.* lo-  
quitur de duplici fine, fine nimirum *cujus & cui:* at prior tantum hoc loco  
definitur, & explicatur, posterior excluditur. Respondet Goclenius, vo-  
culam *cujus* in definitione finis debere accipi generaliter, pro eo quod est  
& *cujus gratiâ,* & *in cujus gratiam;* cui responsioni addas licet & hanc: sub-  
jectum in loco causæ non est definiendum. Finis *cui,* est subjectum, cui  
aliquid attribuitur. E. non causa, cum nihil ipsi sit commune cum causa,  
nisi nomen. Ergo non hîc definiendus. Quare adhuc relinquatur,  
hanc finis definitionem esse legitimam, quod erat  
probandum.

Observat.

Definitio  
finis.

Obiectio.

Resp. ad  
obsectio-  
nem.